

CATALOGUS  
edendorum  
XX. SCRIPTORUM,  
Philologico - Critico - Theologi-  
corum,

<sup>Quorum</sup>  
*Priora* X. lucem *maturius* conspicient, prelo subjici-  
enda, prima occasione plausibili adaperata;

*Posteriora* X. vero, in Miscellaneis partem adhuc  
latentia, ab officio administrando, & arbitrio Biblio-  
polarum *proporro* dependebunt:

<sup>partem,</sup>  
Pollentium *Reipublicæ literatæ Senatorum*  
genuinæ dijudicationi atque commendationi,

<sup>partem</sup>  
*Bibliopolarum* ab iisdem, ad faciendos sumtus,  
conciandorum benevolæ voluntati & consensioni,

*Synoptice propinatus*

à  
M. DAVIDE FRID. MEGERLINO,  
COMMERELLIANO,  
SENIORE COLLEGII REPETENTIUM,  
in Illustri Stipendio Theol. Tubingensi.

---

TUBINGÆ,  
imprimebatur typis JOSEPHI SIGMUNDI.

V I R O

*REVERENDISSIMO atque MAGNIFICO,*

DOMINO,

CHRISTOPH. MATTHÆO  
PFAFFIO,

*SS. Theologiae D. ac Professore Publ. Ord. Primario,  
Nostrae Universitatis Scholasticae Cancellario Magnifico,  
Ecclesiae Tubingensis Praeposito summe Reverendo,  
Monasterii Laureacensis Abbati Meritissimo, S. Palatii  
Caesarei Comiti Splendidissimo, Ducis Wirtembergiae  
Serenissimi Consiliario Gravissimo,  
Ordinis Theologici in rerum praesentia Decano  
Spectatissimo,*

*PATRONO ac FAUTORI & PRÆCEPTORI  
suo atatem Devenerando,*

*Prodromum huncce Speciminum Philologico-Critico-  
Theologicorum, & imprimis praesentem, bono cum Deo, &  
Fautorum ac Bibliopolarum consensu, olim edendorum*

*XX. Scriptorum Catalogum*

*ea, qua par est, mentis submissione  
dicat atque offert*

*Cliens devotissimus*

AUCTOR.

**VIR REVERENDISSIME!  
PATRONE COLENDISSIME!**

**V**Eniam, spero, dabit summe Reverenda Tua Magnificientia, quod Speciminum suorum Philologicorum Prodromum, & praesertim Opusculorum porro edendorum Catalogum, Nomini Tuo longe lateq; Celeberrimo, mente venerabunda, inscribere ausus sit humilimus Cliens, Tibi, uti notissimus, ita omnibus modis atatem devinctissimus. Tantum in sacratissima Tua Persona per XIII. jam annos, quos heic exegi, licuit mihi Patronum, imo Mecænatem venerari; ut multis nominibus obligatum me judicare debuerim, Tuæ Magnificentiæ hunc quoque, exiguum licet, aliquo tamen modo maturiorem dedicare laborem: cum jam A. 1718. Magisterii honores ambiens, Primitias meas Academicas, in versus aliquot Jesaia LIII. capitis philologicè conscriptas, Patrocinio Tuo nuncupare sustinuerim. Interea temporis non modo mihi permisisti, ut IX. Collegia, Theticum, Methodologico-Practicum, Polemicum universale, Thetico-Exegeticum, Historicum Ecclesiasticum, Literaria duo, Itinerarium, & Privatissimum cum aliis paucis, apud Te cum maximo meo emolumento frequentarem, & una ex publicis Praelectionibus Tuis solidissimis plurimum proficerem: Verum etiam privatim non semel me exstimulasti ad continuandum orientalium Linguarum Rabbinaeque Litteraturæ Studium, in quo me sub ipsum meum in hancce Academiam introitum domi examinasti, & deinde, in eodem ut collegia aperirem, aliquoties monuisti, & studiosos quoque complures, meam ut desiderarent operam, adhortatus es, benevolentissimo erga me affectu. Hac ipsa prorsus singularia Tuæ Magnificentiæ in me immerentem collata merita ac beneficia, quod hic publicis prædicem laudibus, animumque sempiterna gratiarum actione obstrictum hisce literulis testatum faciam, pro Tua erga me voluntatis inclinatione, in meliorem ut accipias partem, enixe obsecro, Vir Reve-

rendissime! *Accedit enim ad maximum istum humanissima propensionis Tuæ cumulum, etiam hoc recentius augmentum: quod, partem, opuscula mea nuper Tibi exhibita, & præter hæc proxime typis quoque vulganda, propitia censuræ Tuæ subicere, tanquam Spectabilis Theologici ordinis Decanus, benignissime volueris, partem etiam, submisit expetitur abs Te hujus Dissertationis meæ Præsidium benevole suscipere, haudquaquam fueris dedignatus. Redeunt vero ad Te, Vir Magnifice! preces meæ supplices, ut, cum tantum non principem, & in Republica literaria universa, & in nostra imprimis Academia, totaque Patria, locum inter Eruditos obtineas, & polentissimam ingenia quavis eorumque characterem & studia judicandi facultatem, atque auctoritatem possideas amplissimam; tum de hisce meis opusculis, & prolixo imprimis edendorum Catalogo, gravissimum aliisque venerabile Tuum expromas judicium; tum vero etiam, cum ultimus Claustralis atque Academicæ vitæ meæ actus, ad finem jam, post exactum XIIII. annorum curriculum, tandem aliquando appropere, ut me Serenissimo Principi nostro, ejusque Splendidissimo Senatui Ecclesiastico, Excellentissimisque Consiliariis de meliori nota commendes, quo Spatium nanciscar olim ornandam, in qua Musis hisce meis, Te potissimum, aliisque suavoribus, adhuc feliciter excultis, non statim valedicere cogar, sed iisdem porro quoque ad aliorum utilitatem, publicumque egregium incumbere queam. Ceterum meam rursus deprecor audaciam atque libertatem, tantum non necessitatis lege mihi impositam, in presentibus Circumstantiis meis. Servet Te Deus, Vir Magnifice! (quem adhuc ad Scripta præstantissima, & recentius præsertim ad Biblia vernacula illustrata, & septimanis proximis publico communicanda, una cum Excell. Tuo Affine Klemmio, Patrono quoque meo Honoratissimo, excitavit atque conservavit) porro quoque sospitem atque incolumem, & Rei literariæ, & Splendori Academiæ Patriæ, & Gaudio Familiæ Nobilissimæ, & Desiderio Clientum bonorum atque dignorum, in quorum societatem ut & in posterum me cooptes, etiam atque etiam rogo. Scripsi Tubingæ Dom. Latare A. MDCCXXIX.*

## PRÆLOQUIUM.



Iraberis forsan, *Lector persalutande!* forsan & indignaberis, tam prolixum tamque superciliosum oculis Tuis usurpaturus *Catalogum*, Viri juvenis, Libellos, eosque non adeo vulgares, numero viginti, eadem significatione promittentis. Me si audias, *scriptionis consilium* ex vero indicaturum, desinas pervelim eapropter mihi & indignari, & hoc amplius institutum præsens admirari. Nosti, si mundum non ignoras cum ignarissimis, quid rerum agatur in orbe literato. Ut plurimum scribitur *Fama*, frequentius *Fami* quoque, rarius *officio Reique ipsi*. Nolim, putes, *honoris* me stimulum fodicasse, ut hancce schedam Tuo subjicerem obtutui. Citius me iste pugugisset monitor, si apud mentem meam valuisset; cum pleraque, quæ & nunc edo, & hic promitto, jam ante integrum biennium in meis latitaverint scriniis, & pridem in animo. Falleris etiam, si *famem* me ac paupertatem ad ejusmodi consignationem compulisse arbitraris. Quid a tantilla scriptiuncula expectari posse credas lucri splendidioris? Ea profecto est *Serenissimi Principis nostri* munificentia atque clementia, ut, qui in ipsius *Stipendio* semel ejus gratia frui inceperit, per omnem vitam suam sibi prospectum noverit, vel hic, vel in demandato olim officio, nisi ejus favore indignum sese præstiterit. Sumo igitur mihi *rarius* illud, quod modo dixi: Scribo nimirum *officio*, scribo & *Rei ipsi*. At! *vir juvenis* officio scribat ac rei ipsi? Ita quidem est, & esse sapius deberet! Erras, me quidem iudice, si solis *atate grandioribus* scribendi publice licentiam demum competere opinaris. Cur putas, tantam proflare Librorum *nondum editorum nec edendorum*, at promissorum tamen, copiam? *Viros optime meritos*, sua

*nimis diu prementes*, liberum sæpe spiritum vix amplius ducere posse videas, officiorum gravitate devinctos, & negotiorum concatenatorum mole oppressos: tantum abest, ut privatos suos schedarum literatarum forulos excutere, & cum cura atque meditatione debita, quæ conabantur, in egregium publicum proferre queant. Scribant ergo etiam *juvenes*, sed *viri*, & in aliquo studiorum genere diutius tractato *exercitati*: non parum utilitatis inde in *republicam eruditam* redundaturum esse confido. Ego quidem officio rei que ipsi me hunc contexuisse catalogum haud abnuo. Est id *officium membri Civitatis Literariæ* atque Societatis eruditæ, ut, si qua in parte alios videas negligentiores, tu ipse locum istum pro virili expleas. Nec hoc alienum censi debet a gnavo studiorum cultore, *aliis monstrare viam*, qua incedentes plurium commodis prodesse queant. Adjungere licet id quoque, iis me adhuc admotum fuisse *muneris partibus*, ut plurima hic memoratorum vel extoto, vel ex parte jam *tractanti*, hujusmodi lucis splendor fuerit illapsus, coram quo proprios claudere oculos *nefas* duxerim, imo & *indignum facinus*, isto rei, per se utilis futuræ, indicio, æquos rerum arbitros non participare. Ast (ais) si quid istis inesset tuis causis, quas hic tua exhibet scheda, *plures profecto* jam eas justa tractatione occupassent & absolvisset *viri, te modis omnibus superiores*. Fateor, horum egregia, quæ in hoc rerum genere ediderunt, *scripta* viam mihi complanasse in plerisque, quos nec unquam (quicquid promissorum præstiturus sim) silentio præterire cupio. Forsan & ipsi illi majoribus curis incumbunt, ad inferiora hæc *scholarum incunabula* ægre regressuri. Etiam hoc calcari *instinctor aliorum* esse velim, me longe doctiorum, & fama jam celeberrimorum, ut (si iis videatur commodum & necessarium) pro sua, qua pollent, in republica literaria, majori auctoritate & *suffragio pollentiore*, suum expromant *judicium*: quænam ex indicatis hisce opusculis ipsi judicent vel digna

digna tenebris æternis, vel non indigna communi luce ac usu. Cave eapropter, Mi Lector! mihi facias injuriam, & Tibi & mihi parum honorificam: *vanum* me hic agere voluisse *promissorem*, hiatu inexplebili, & in *Bibliotheca latente & promissa* tantum, olim hæc quoque mea locum esse repertura. Polliceor sancte & in me prorsus recipio, me quidem meo non defuturum officio, si nec alii deficiant *benevolo suo arbitrio*, & *Bibliopolarum* inprimis *aura lenior* & æquior meo adspiret labori. Itaque non *mea me limitabit* propria voluntas mutabilis, aut vituperabilis negligentia, aut plena formidinis diffidentia: cum, quæ semel me excitavit officii ratio, rei que ipsius visa necessitas, ac sperata utilitas, nunquam non *pari pondere* mentem meam *inclinatura* sint: nisi a sententia vel *invitum* retardet dignæ occasionis penuria, vel *melius informatum* de hoc vel illo capite, prorsus abstractat veneranda mihi *Doctiorum Virorum* publicata dissensio. Utere ergo Tua libertate, Lector benevole & æquanime! lege, judica, commenda, promove, si *velis*: sin *nolis*, abjice, redargue, indigna hæc mea pronuncia, & quovis modo remorare. Sic vero bene vale, literisque bonis fave.

I. Libelli X. pro *data occasione citius* edendi,  
& ex Manuscripto ad prelum aptandi.

I. **S**yllabus XXX. *Observationum Miscellanearum*, ad illustrationem Ideæ Generalis Cursus Philologici Orientalis, ejusdemque V. Intervallorum & distinctorum quoque Graduum, ex *trecentis* aliis, exemplorum loco, selectarum.

II. *Dodecas Positionum*, ex *Repetitionibus Hebraicis*, in *utrumque Decalogi Exemplar* Ex. XX. & Devt. V. maxime in *Accentuationem* ejus *duplicem*, olim habitis, excerpta: ubi Tabulæ utriusque & convenientia & discrepantia indicatur, & in quibusdam *Celeb. Lampii* observationes Cl. I. Fasc. I. Bibl. Brem. modeste examinantur: potissimum vero *Compositæ Accentuationis Decalogicæ* origo & fundamentum, antiquitas & autoritas, singu-

singularia & dubia, Patroni & Adversarii, usus denique Philologicus & Theologicus explicantur. Adjungetur *Appendix VII. Locorum Pentateuchi Samaritani*, a Codice Hebræo Authentico male discedentis, contra *Morinum, Cappellum, Clericum & Whistonum*.

III. *Discursus Historico - Critico - Didacticus*, de singularibus Hebraica *Lingua Fatis atque Prærogativis*, summaque ejusdem necessitate & utilitate: in quo illius variæ ætates, periodi ac mutationes designabuntur; Prærogativæ, ex ejus indole sacroque usu derivandæ, adstruentur & vindicabuntur; necessitas atque utilitas, jam a me in *Fure postliminii* assertæ, exemplis hic declarabuntur, pluribusque Eruditorum Testimoniis porro comprobabuntur.

IV. *Conspectus potiorum Veteris Testamenti Aphorismorum Criticorum*, juxta ordinem Collegii Critici, in Hexade Collegiorum a me delineati, formatorum: ut & *Prænotiones* necessariæ de ipso Canone Hebraico, Fundamentali ejus Lingua, Styli Biblici natura, Versionum meliorum origine, autoritate, veterum eruditarum usu & abusu, hodiernarum potiorum nimio ac justo pretio, enumerentur; & *Organa Critica*, tam interna, quam externa in sensu quorundam Scripturæ Locorum investigando exercentur; & *Principia Pseudo-Criticorum* primaria, allatis oraculorum perverse expositorum speciminibus refutantur; & *Merita* tandem *Gniso-Criticorum*, nonnullis etiam exemplis in medium prolatis, synoptice illustrentur.

V. *Padagogium Lingua Hebraica sufficiens*, per XII. *Progymnasmata*, & ad ipsum *sanctioris Idiomatis Templum*, & ad *diversa ejus Atria* manuducens. Monstrabuntur autem N. *Progymnasmata VI. Essentialia*, & J. etiam VI. *Accidentalibus*. N. Inter *Essentialia* est I. *Protheoria Elementorum Fundamentalibus*, quæ totum Lingua accuratius cognoscendæ Artificium docet dependere 1.) a bene observato discrimine & genio Consonantium Literarum, & Gutturalium & Quiescentium, tam Radicalium, quam servilium: 2.) a natura Vocalium magnarum ac parvarum, & vicariæ earum, Schevatis, & hinc derivanda Syllabarum constitutione justa atque mora: 3.) Toni sede ordinaria atque extraordinaria: & 4.) Mutatione punctorum regulari, ex hisce Principiis perscipienter colligenda. II. *Modulus Paradigmaticus*, qui variam nominum, pronominum, verborum & particularum, separatarum atque inseparabilium formam regularem breviter tradit; cum anomala pleraque ad suum reduci que-



ci queant ordinem, ductu Fundamentorum Elementarium. III. *Isagoge Analytica*, quæ faciliorem Ruthæ Libellum Historicum exponere & resolvere doceat exactissime, ad calculos fundamentales pariter atque paradigmaticos omnia revocando, & quorumvis signorum formarumque rationem accurate reddendo. IV. *Enchiridion Syntacticum & Emphasiologicum*, quod potiores contineat Idiotismos, in quibus facillima hæc Lingua, vel ab aliis, potissimum occidentalibus, Dialectis, vel a propria etiam sua analogia perpetua interdum discedat, venustosque pariat Hebraismos, in locis emphaticis obvios. V. *Tabula Accentuatoria*, quæ & profaicæ, & metricæ, & simplicis, & compositæ Accentuationis schemata atque axiomata repræsentet, & in Cap. XXII. 2. Sam. Libri, collato Psalmo XVIII. parallelo, pensiculate exerceat. VI. *Exercitatio Synthetica*, quæ, ad perficienda omnia V. præcedentia Progymnasmata, ex variis Scripturæ Libellis & Capitibus, & elementa, & paradigmata, & analysin, & syntaxin, & accentuationem Hebræophilo reddat quam familiarissima, per repetitionem tractatorum absque punctis, & instituta Styli Hebraici exercitia, propriæque compositionis specimina imitantia. ב.) *Inter Extra - Essentialia* est I. *Epitome Chaldaica*, quæ Capita X. Babylonica, Danielis atque Esræ, juxta formam Grammaticam, ab Hebræa parum recedentem, exponere atque resolvere doceat. II. *Synopsis Lexicographica*, quæ in Scheda, ad instar Cubi Hutteriani disposita, Biblicas radices Hebræo - Chaldæas, inprimis vocabula rariora, ex Leusdenii compendio annotanda, cum locis suis & significatione, laterculis propriis inserat. II. *Rudimentum Poeticum*, quod & sacros V. T. Poetas, Mosen maxime & Jobum atque Davidem, quoad singularem stylum suum, cognoscat & imitetur; & modernam quoque Rhythmicam Poësin, ex Judæis atque Christianis Auctoribus evolvat, Christi que beneficia ejusmodi Carminibus celebrare discat. IV. *Præustus Criticus*, qui Judaicam Vet. Test. Divisionem in Paraschas & Haphtaras, ordinemque Librorum 24. & Masoreticas annotationes circa voces, literas earumque figuras, vocales, & accentus, & versuum numerum in fine quorumvis Librorum, intelligere quoad symbola sua, & dijudicare instruat. V. *Specimen Dialogisticum & Epistolare*, quo pacto & puriore Lingua Hebraica, cum Judæis, de promisso ipsis Messia, ex palmariis Prophetarum Oraculis aliquis colloqui, & instituto etiam cum iisdem, hic vel ibi forsitan convertendis, commercio literario, more *Buxtorffii & Altingii*, Ebraice queat agere. VI. *Prodromus Rabinicus*, qui non modo characterem Judæo - Germanicum iis, qui inter

nos vivunt, usitatum legere tradat, sed ad ipsos etiam faciliores Rabbinos, Michlal Jophi, Kimchium, Aben Efram & Abarbanelem, sine punctis, figura literarum rotunda scribentes, & sæpius haud infeliciter Scripturam explicantes, aditum patefaciat, adjectis frequentioribus eorum signis tachygraphicis, & formulis usitatoribus.

VI. *Lucerna Critica, extraordinariis Bibliorum Hebraicorum Scriptionibus, Lectionibus, atque Annotationibus Masoreticis recens accensa:* in qua I. *diversa & Judæorum & Christianorum judicia* recensentur, & quid singula incommodi habeant, breviter enunciatur. II. *Nova Authoris sententia* indicatur IV. *Canonibus*, ubi *primus* est: singulares istæ scriptiones, lectiones atque annotationes non possunt apte ad eandem ætatem & originem referri, sed natales suos probabilissime debent 1.) *Variarum Librorum sacrorum Recensio critica*, ab Esra, Collegio magno, Doctoribus sequentibus, inprimis tempore Religionis, post Antiochum restauratæ, viventibus, nec non Magistris Tiberiensibus, forsân & aliis, institutæ: 2.) *Codicum præstantiorum, forte Palestini atque Babylonici*, magnæ alias auctoritatis, *dissensui*, Critico symbolo in bene multis Karjan & Catban dijudicando: 3.) *Receptæ loquendi pronuntiandique consuetudini* in exemplis Pentatevchi נערה Gen. 24, 14. nec non ירושלם 1. Reg. 9, 14. Efr. 4, 8. in temporibus ante & post captivitatem, ut & Danielis דארין Dan. 2, 32. &c. 4.) *Religioni* in nomine Dei יהוה alienis scribendo ac proferendo vocalibus, saltem ætate sequiori: 5.) *Verecundiæ* in vocibus, tandem usu obscœnis, cum aliis consuetudine honestioribus in legendo permutandis: 6.) *Librariorum* erroribus, codices mendose exhibentibus, & nunc voces, nunc literas vel bis, vel plane non scribentibus, vel transponentibus, vel cum similibus permurantibus: & tandem 7.) *Cabbalisticis symbolis, monitisque mysticis, & criticis notis*, in Literis majusculis & minusculis, suspensis, inverlis, vocibus superne punctatis, locis Piska, Tikkun, Ittur aut Sebhîr habentibus &c. E. G. Lev. 13, 33. Deut. 6, 4. Deut. 29, 29. Pl. 27, 13. 1. Sam. 10, 22. 16, 2. 17. *Canon secundus*: Probe dispiciendum est, ad quam harum Classium hæc vel ista nota spectet, & quo fundamento probabili? *Can. tertius*: Ad exempla Karjan vechatban præsertim attendendum: quia non habent numerum definitum, nec facile determinandum; multa, quæ non sunt, inter ea in codicibus quibusdam leguntur; & jam Keri, jam Ceribh, pro antiquiorum Translationum suffragio & contextus serie præferendum est. *Can. quartus*: Omnia isthæc extraordinaria, atque anomala, & singularia, neque integritatem codicum  
omni-

omnium, vel Scriptura ipsius ac totius, neque Sensus certitudinem infringunt aut enervant. III. Peculiaris opinio Meritissimi B. Abbatis Hilleri, sub modestum, convictioni tamen congruum vocatur examen, juxta hujus Syllogismi partes, atque ordinem, nostram hypothesein indicatam confirmaturum: Quodcunque systema, 1. nititur fundamento dubio, incommodo & falso; quasi Sopher Esdras sua manu complura descripsisset exemplaria, & primorum Amanuensium scriptionem, tam variis literarum vocumque permutationibus, ex Θεορνευσια alterasset, omnesque variationes istæ symbolicae, alia dein ætate a Masoretis aut Viris Synagogæ Magnæ sic excogitatae, ad eundem ubique sensum concurrerent: 2. Karjan & Cetibhan modo tractaturum, male huc trahit alias notas criticas eo non spectantes e. g. alphabetum literarum, insolita figura exaratarum, vocumque punctatarum; vel saltem minus recte omittit alias annotationes, magis momentosas & expositione dignas, Piska, Tikkun, Ittur Sopherim & Sebbirin. 3. Regulas ad istam hypothesein salvandam effingit novas longe plurimas, nullam sæpe speciem veritatis habentes, & tum ex ipsis locis varie affectis, tum certe ex Judaica antiquitate merito refutandas. 4. Finem suum primarium, scilicet integritatem Sacri codicis Hebræi, contra Cappellum, Vossium, Waltonum & asseclas eorum vindicandam, hac sua sententia methodoque coacta adeo non assequitur, ut eandem ipsummet potius (dum supra centenas lectiones novas variantes, voces recens inventas & vocalibus inusitatis vestitas, in primis ex literis majusculis & minusculis & suspensis, & punctis extraordinariis derivatas, nec in ullo codice aut antiquo Scripto reperiendas, in gratiam suæ imaginariæ hypotheseos recens excogitavit) inflicto vulnere novo iterum graviter sauciet: 5. in aliis denique, utramque etiam lectionem, & textualem & marginalem, ut genuinam agnoscentibus, nec tamen suam sententiam tam ingeniosa regularum atque exemplorum farragine exornantibus, Polano, Broughtono, Ainswortho, Wasmuthoque jam ab aliis rejectum atque refutatum fuit: illud systema 1. recte censetur lubricum, 2. imperfectum, nunc abundans, nunc deficiens, 3. minus cautum, & per justas sequelas 4. periculosum, & non nisi inconsulto zelo ac pietismo critico, (quasi divino afflatu aliquo inventum esset) ad tertium usque cælum efferendum, ex judicio Wagenseilii, Leibnitii, Heideggeri, Schudrii, Starckii, aliorumque ejus Patronorum: imo potius 5. neque recens effictum, neque dubiis solvendis idoneum, criticaeque indagini solidæ sufficiens, juxta viros mea laude superiores, Pfaffium, Wolfium.

*Carpzoviū. Atqui hoc &c. Ergo: Quemadmodum vero sacram Celeb. viri, mihiq<sup>3</sup> amicissimi, & suo me etiam Hierophytico destinatione ante B. obitum donantis, memoriam veneror, reliquosque ejus Libros, inprimis Onomasticum Biblicum, toto pectore exosculor, atque ipsum hoc illius Arcanum Kethib & Keri (a quo me alienum esse modo rationibus ostendi) omni laude atque fructu carere neutiquam arbitror: ita pro aqua Critici Senatus libertate, neque manes viri Beati turbabuntur, neque alii in sinistram partem interpretabuntur, quod ab istiusmodi Hypothesi, tantis laborante difficultatibus atque incommodis, justam secessionem facere, post alios in genere quadam contra eam monentes, ego primus publice in Lucerna hac Critica aggressurus sim, omnesque dispositos ante istos quinque medios terminos pluribus publice expositurus, Deo annuente & occasione Bibliopolarum favente. Meam ipsius vero sententiam IV. ipsis potioribus Scriptionibus, Lectionibus atque Annotationibus Masoreticis in classes, antea partem memoratas, digestis confirmaturus, liberæque aliorum Censuræ publicæ ac scrutinio ulteriori subiecturus ero, & solícite una curaturus, ne quid Authentici Textus integritati decedat; ubi mea etiam varia asserta adstructurus ero ex optimis Criticis, Buxtorffis, Cappello, Hottingero, Amama, Walton, Leusdenio, Heideggero, Vitringa, Clerico, Simonio, Glassio, Calovio, Pfeiffero, Reimanno, Cellario, Klemmio, Pfaffio, Michaële, Wolffio, Carpzovioque.*

VII. *Synthetica praxis Hebraica, regulis, exemplis, atque subsidiis facilius reddita.* In hac I. collaudabit Methodum Analyticam atque Syntheticam, in linguarum studio universo conjungendam nexu indivulso; maxime autem vulgo neglectarum Compositionum Ebraicarum necessitatem atque utilitatem, tum rationibus confirmabit, tum quibusdam huc spectantibus, Geieri, Buxtorffii, Pfeifferi atque Starckii testimoniis stabiliet. II. subministrabit ob universalem Exemplorum istiusmodi defectum, XXX. Exercitia Hebraici styli, & pericula Imitationum Phraseologiae scripturariae: in quibus tum quaedam Pentatevchi, Prophetarum & Hagiographorum capita, prosaica imitatione, & accentuatione plerumque adjecta, consequetur; tum etiam carmina nonnulla Davidis, Jobi, & Salomonis, stylo biblico Poëtico, & metrica accentuatione adhibita, eadem exprimet sequela; tum etiam Rhythmica quaedam adjiciet exempla; nec non Epistolica nonnulla atque Colloquia subjunget. Porro III. ut expeditam Tironibus istam imitandi viam sistat, Collectanea Hebraica Phraseologica, juxta Titulos Latinos ordine alphabetico digesta addet, ad exemplum Florilegii Hebraici a Joh. Buxtorffio Fil. editi 1648. & instar Speciminis

speciminis Phraeologiae V. T. Hebraicae Joh. Buxtorfii 1717. Francofurti editi, nec non ad modum Starckii Ebraismorum Etymologicorum Lips. 1709. ut Pfeifferi ac Schudtii desiderium non memorem.

II. *Phaenomena Accentuationis Hebraicae distinctius explicata*, & ad XL. singularia Scripturae Loca dilucide applicata, in X. Specialibus vero a Cel. Clerici negligentia & parhermenia studiose vindicata. Ubi I. refutabuntur, qui usum Accentuationis vel Musicum solum esse ajunt, vel Distinctivum solum, atque ita variis dubiis sese extricare nesciunt. II. Quadruplex, & *Grammaticus*, & *Musicus*, & *Hermeneuticus*, & *Rhetoricus* adstruetur, & selectis ex omni Librorum sacrorum genere XL. Locis, ipsa praxi, quoad veritatem & utilitatem suam, plenius declarabitur, & praesertim *Accentuatio extraordinaria*, vel *emphatica* & *affectuosa*, ex quibusdam demonstrabitur. Tandem III. *Decuria Exemplorum*, ex recentioribus Clerici, (qui se nullam Accentuum habuisse rationem profiteretur) egregiis aliis commentariis depromenda, faciet plannum, quam licentiosa & infelix sit Accentuationis ignarorum hostium Scripturae explicatio, hoc si vilis habeant adminiculum.

IX. *Pugna Versuum Orientis atque occidentis potiorum, critice composita*: in qua XXV. *dubia Vet. Test. oracula*, ex Metaphraeon, tum Chaldaicae, Graecae & Latinae, ut meliorum antiquarum; tum Judaeo-Germanicae, Belgicae, Anglicae, Junianae atque Schmidianae, ut accuratiorum modernarum collatione, cum Textu Originali, & nervosa nostrate Lutherana concise instituta, nec tamen aliis quoque neglectis, forte hic ibi cum iis comparandis, auspiciato enodantur, quoad incertas suas voces, phrasas, atque in hac vel illa translatione notatas Emphases, ut, si nec reliqua excludantur media critica, eo clarius elucescat *Translationum utilitas* varia, in exegeti curatiore.

X. *Christognosia Antiquaria, sperandam Judaeorum Conversionem magnam promotura*: in qua I. istius Conversionis non modo *probabilitas* & *facilitas*, ex parte Dei promittentis, sed & eandem per media commoda *adjuvandi necessitas*, ex parte hominum, asseratur. II. *Cognitio Messiae* in Vet. Test. *Dictis* clarioribus investigetur, & Judaeis proponatur, propter communem Antiquitatis ipsorum consensum: dum & vera istius *Kabbala* semper etiam ista loca, uti nostrum Nov. Test. ad Christum applicuit, & *Targumim* antiqua ad regem Messiam pari ratione, uti nos in illis respiciunt, & plurima *Rabbinorum* plerorumque & *Talmudistarum* loca, eundem, quoad characteres suos primarios &

scripturarios, describunt ac pollicentur *Messiam*, quem Christiani in suo Jesu Nazareno venerantur. Accedet *judicium de pietate & impietate Exegetica Hug. Grotii*, qui pleraque V. T. oracula de Christo, a nostris literaliter accepta, ad eum sensu tantum mystico, sed a Deo tamen quam maxime etiam intento, in notis suis applicat: ubi & ex quibusdam probabitur locis, mentem ejus non semper penetrasse *B. Calovium*.

## II. Tractatuli X. alii, ex *Miscellaneous* accuratius pertexendi, & pro officii gerendi ratione, ac *Bibliopolarum* arbitrio olim vulgandi.

I. **C**ommentatio Philologico-Critico-Exegetica in Psalmum XVIII. collato 2. Sam. C. XXII. in qua 1. *Literalis sensus* investigatur ope *αναλυσεως* Logico-Accentuatoriae, & Etymologico-Syntacticae: 2. *Collatio* instituitur critica *versionum* atque *commentationum* nobiliorum: 3. *Resolutio* accuratior *Exegetica* subjungitur egregiarum 4. *harum Questionum*: α. Utrum Psalmus hic de Christo agat *literaliter*, an vero sensu mystico ad eum spectet? β. Cur *his* legatur scriptum Carmen hoc Evcharisticum, & duplici quidem, cum prosaica, tum metrica Accentuatione propositum, quisve Textus alteri interdum videatur praefertendus? γ. Quanam sit *vera Causa tot variationum*, in Psalmi hujus & hemistichii, & vocibus, & literis, & punctis, & accentibus? Num acu eandem tetigerint *Cappellus, Abarbanel, Buxtorffius, Geierus, Hillerus*, alii? δ. Quae commata, voces, accentus in hoc cantico serupulum interpreti adhuc movere queant, *novaque* videantur *illustratione* donanda? ε. Quem *usum* singularem *Critico* polliceri possit, in arte, & *Grammatica*, ob *ισοδυναμιας* rationem, & *Accentuatoria*, propter duplices eidem Textui subjectos & prosaicos & metricos accentus, & *Masoretica Κριση*, ob *Karjan & Cetibhan* in alterutra scriptione vel praesentiam, vel absentiam, vel praerogativam; tentanda accuratior, adhuc neglecta, *συγκρισις* utriusque paralleli loci? ζ. Quomodo versus plerique ac conceptus Scriptoris sacri ad Christianam *ασκησιμ* nos debeant extimulare, juxta exemplum *Cel. Geieri* atque *Frischii*.

II. *Reliquia Masora sepulta*: h. e. Tractatus מסכת סופרים Talmudicis voluminibus adjectus, & de Scribis Librorum sacrorum, eorumque

que objecto, & officio agens: qui I. ob materiae suae praestantiam, integer mea *versione* latina adjecta comparebit in orbe literario, vice prima. II. Adjunctas habebit, a me latine versas R. *Elia Levita Praefationes* suae Masoret hammasoret, quam olim totam transferre volebam, sed, cum opus ipsum in *Buxtorffii* Tiberiade, maxime P. II. jam versum, quoad rem, & potiora momenta, conspicerem, manu retracta iterum deferui. III. *Notis criticis*, utrique operi subiectis, Masoreticorum Bibliorum nostrorum exhibebit ordinem, divisionem, scriptionem accuratam, Lectiones variantes, Lectionem Legis ejusque praestantiam, & preces ante eam more antiquo dictas. IV. Allegabit quoque Auctores, ex isto Tractatu, XXI. Capit. constante, testimonia saepenumero producentes, *Schickardum, Buxtorffium, Morinum, Hottingerum, Voisnium, Leusdenium, Wagenfeilium, Wolffium.*

III. *Sagacitas Rabbinica*, ex probabili *Abarbanelis Crisi*, in *XV. controversis Quaestionibus Exegeticis* demonstrata: ubi I. Excellentissimi hujus *Rabbini Characterem* delineabit paucis, & ratione prerogativarum, & ratione vitiorum ejus. II. *Specimina Christianorum*, ex diversis ejus in Pentatevchum, Prophetas priores atque posteriores conscriptis commentariis, non paucas Dissertationes vertentium allegabit, scilicet, *Buxtorffii, F. Lud. Compiegne de Veil, Gentii, Buddei, Meyeri, Schrammii, Rendtorffii, L' Emperevrii, Schnellii, Carpzovii, Francisci ab Husen, Gebhardi, Pfeifferi, Palmerooti, Sprecheri, Scherzeri, Abichtii, Maji.* III. Juxta laudabile institutum clarissimorum horum virorum, *XV. etiam Quaestiones selectas*, ex triplici ejus primario opere hermenevtico, partem versione, partem sententiae definitione commendabit, & alias plures Pericopas, in Auctore hoc versione dignas, indicabit.

IV. *Inquistio Critica in Poësin Hebraicam*, tum *veterem*, sententiosam, tum *rhythmicam* recentiorem: In hac I. recenset diversas de *Poësi Veterum* sententias conjecturales. II. *Intolerabilem Meibomii*, qui singulari Metromania & auri fame instigatus, universam V. T. Scripturam metricè conscriptam asseruit, sed mire nunc corruptam, dum ad revelatas sibi Poëticae divinae leges reformetur. III. *Improbabilem Clerici & audaculam*, quae Rhythmum *ομοιοτελευτον* statuens, ut is vel invitus appareat, mirabiliter quoque & praelicenter syllabas vocesque integras addit, decerpit varieque transmutat. IV. *Verisimilem & modestam Cel. Carpzovii*, quae ob carminum musicaeque indolem, aliquod admittit metrum, certas melodias canticorum, nec obscura scansionis determinatae vestigia,

vestigia, sed omnia hæc hodie adhuc incognita, homoeotelevta vero interdum fortuito subnascentia; ut rectius in stylo Laconico, figurato ac sententioso a nobis quaratur ejus ratio. V. Hanc *viam tutissimam* ipse etiam secuturus, specimina quædam, Canticum Mosis Ex. 15. Deut. 32. Pl. 7. 14. 16. 22. 34. 53. 68. 103. 105. 124. 145. 150. Jobi c. 40. & 41. Prov. c. 30. & 31. Chabak. c. 3. ad cognoscendam styli Poëtici rationem applicabit; & ad imitationem eorundem, similibus IV. *Carminibus* Christi Nativitatem, Passionem, Resurrectionem atque Ascensionem celebrabit. VI. *Rhythmicam Poësin hodiernam*, quoad suam originem, divisionem, culturam & exempla, tam Judæorum, quam Christianorum considerabit & 6. *propria adjiciet experimenta metrica*, Mysterium SS. Trinitatis, Providentiam Dei, & Angelorum custodiam prædicantia, & 3. Orationes continentia, pro Remissione peccatorum, Precepcionem matutinam, & vespertinam.

V. *Opera pretium Talmudicum*; X. *Locis ex variis Tractatibus Talmudis recens conversis*, ejus usum in Philologia & Hermenevtica Sacra comprobaturum. Accedent V. *specimina mutui consensus Rabbinici Talmudis*, & *Corani Muhammedani*, in fabellis quibusdam adstruendis.

VI. *Chiragogia ad studium Rabbinicum, per illustratum Obadia Vaticanium*: in quo 1. *Textum Hebraicum* loco fundamenti ponet, accurate ex analysi grammatica, accentuatoria, atque Maforæ annotationibus evolutum. 2. *Translationem* Jonathanis, quam una cum Textu Hebræo sæpius citant Rabbinæ, percurreret, & quam varium hic usum præstet, observabit. 3. Ipsos celebriores *Rabbinos V.* in medium producet: *α.* faciliorem, historicum *Aben-Esram*, literalem sensum aperientem, quem methodi causa punctis insigniet, ad promptiorem in sequentibus progressum. *β.* leviolem, grammaticum, *Kimchium*, antiquis præluentem Grammaticis, ex quo voces Prophetæ difficiliore varie intelligentur. *γ.* commodum hujus ipsius epitomatozem, *Salomonem ben Melech*, nobiliter in suo *Michlal jophi* ad sensum verborum totius Scripturæ manu ducentem, quem hic versione latina donabit, prima vice, una cum Abendanæ spicilegio. *γ.* obscuriorem, Talmudicum, *Raschium*, qui stylo difficili, conciso Talmudicisque allusionibus referto, modo dictis postpondendus est. *ε.* eximium Exegetam Judæicum, *Abarbanelem*, qui omnes hujus Prophetiæ articulos (si ab eo discedas, quod *Christianos tanquam Edom* pessime tractet) erudita commenta-



mentatione explicavit. 4. Horum dabit *versiones*, cum aliis *Pontaci*, *Crocii*, *Merceri*, *Leusdenii*, *Raithii*, *Breithauptii*, *Pfeifferi*, *Majique* (quorum aliqui illorum quosdam iis maclarunt) libere collatas. 5. cum *parallelo* maxime loco *Fer. 49, a v. 7. usque ad 23.* eorundem Rabbino-  
rum notas comparabit, nec non cum *aliis V. Test. vaticiniis*, contra E-  
domum hic ibi prolatis. 6. *Rabbinica Literatura usum* in exegesi eru-  
dita comprobabit in *Questionibus* 7. sequentibus : *α.* Quis *Obadias* iste  
fuerit ? utrum in Achabi domo vivens, ex mente Rabbino- & Tal-  
mudistarum ? an vero alius vel tempore Achasi juxta Vitringam, vel  
Jeremiæ tempore secundum Tarnovium vivens ? vel an prorsus ignore-  
tur ? *β.* Quis *nomine Edom* intelligatur hic ? Utrum pagani, Judæis  
olim, & dein Christianis adversantes ? An Christiani, Judæos in variis  
exiliis affligentes ? Num ipsi quoque Judæi, Christum rejicientes ? &  
quotupliciter nomina propria, inprimis Edom quoque, in Scriptura su-  
mantur ? *γ.* *Quo tempore impleta* dici possit hæc Prophetia ? vel an ad-  
huc implenda, ex *Abarbanelis* judicio, ut Judæi in tertia Liberatione  
e suo exilio, perfectissima illa, per Messiam expectandum præstanda,  
populis omnibus reliquis dominaturi, tertiumque templum Hierosolymis  
reædificaturi sint ? *δ.* An *v. 1. SS. Trinitas* notetur ? *ε.* Quomodo *v.*  
*7.* intelligendus ? *ζ.* Quæ fuerit *sapientia Edomi* ? *η.* Qui *Salvatores* in  
monte Zion ? *θ.* Num *ספרר Hispanos צרפת Gallos כנענים Germanos*  
notent ? An hic *Judeis* fidendum sit ? vel *Hardtii* novæ sententiæ ? vel  
*Hillero*, propria in appellativa, violato *canone critico*, convertenti ?

VII. *Parascha Gen. XI, 1-9. Polyglottos Critica, Theoretico-Syn-*  
*thetica* : in qua I. *Textus Authenticus* exhibetur, cum omni suo appa-  
ratu, Vocalibus, Accentibus atque Masora, nec non ex eo transsumtus  
quoque Samaritanus, omnibus istis destitutus. II. Originalis Perico-  
pæ istius *Translationes ectypæ*, versibus singulis subjectæ, ut *α. Versiones*  
*præcipue Orientales*, Chaldaicæ, Onkelosi, Jonathanis, Hierosolymita-  
na, Syriaca, Samaritana atque Arabica ; & *β. occidentales etiam potio-*  
*res*, Græcæ 70<sup>o</sup> viralis, Latinæ, Vulgata, Tremellii, Schmidii, Gallica,  
Hispanica, Anglica & Belgica, Germanicæ, Lutheri, Piscatoris, Ulen-  
bergii, Judæorum Amstelodamensium, & nova Berlenburgensis, repræ-  
sentantur. III. *Symphonia grammatica & lexicographica* omnium istarum  
Linguarum OO. propinqua cognatione ab Ebræa derivandarum, harmo-  
nice

nice adducitur, ad conferendas critice istas OO. Linguas. IV. *Ufus ἀρμυραίας istius* etiam quoad potiores Occidentales Linguas facilis ostenditur. V. *Questiones palmaria*, ad Locum *Gen. XI.* referendæ, pertractantur, de Lingua prima & una, de Linguarum confusione, ejusque modo, & derivanda hinc aliarum Linguarum origine, modo ac numero & harmonia: quæ in utramq; partem expenduntur, *Hardtio* una exploso. VI. *Christologia* quoque *multilinguis* adjungitur, *Servatorem Linguis potioribus Orientis ac Occidentis* prædicatura e. g. 1. in *Hebræa* Lingua, quod hæc sit & *primæva*, in qua de Christo auditum sit *Protevangelium*, & *una*, quæ post confusionem manserit integra, & emphatica Messiaë nomina, atque agentia de eo oracula nobis tradiderit. Porro 2. quod *Græca* olim *comuniſſima* exhibitum Messiam toti mundo annuñciaverit per Evangelistas & Apostolos, qui tamen ad communem Servatorem omnes gentes adducturi, charismate Linguarum omnium a Spiritu S. donati sunt. Quod 3. *Babylonica vel Chaldaea* magnam Ecclesiæ induxerit confusionem, in populi Judaici captivitate: ipse tamen Deus in ea per Danielem singularia sua miracula, & per Esram populi ac templi restorationem nobis significaverit, & sub eo venturum prædixerit Messiam. 4. *Carmen Græcum* exponat *Versionis Græcæ beneficium*, qua Deus Gentibus, mox etiam plene vocandis, in manus suum tradiderit verbum, spemque promissi & a Judæis ubique aliis propositi Messiaë, omnibus familiarem fecerit. 5. In *Dialecto Samaritana* docebitur: Homines plerosque Samariæ incolis esse similes, qui non puro cultu Deum per Christum venerari ament, sed suum unumquemque sibi electum Deum proprium una honorare velle juxta 2. Reg. 17. 6. *Latinum adstruat metrum*, quod Babelicam ædificantes turrim Deo obniti voluerint, & nomen suum æternitati consecrate, non habita Christi, apud Semi posteros benevole præsentis, ratione, ut iuxta *γλωττοσυγχυσεως* pœna sint affecti. 7. *Syriaca Dialectus* evolvat *tres Linguas*, quibus cruci Christi inscripsit Pilatus: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum!* ut scilicet universalis mundi salus Deo providente sic innotesceret & suæ genti, quæ utebatur tunc hebraica populari, i. e. Syra Hierosolymitana, & Græcis ac Latinis, qui orbis totius tum erant Domini. 8. *Rabbinico-Talmudica* describat *miseriam Judaicæ* nationis, quæ jam post Jesum rejectum suæ ignara veræ Legis & Scripturæ mentis, traditionibus inhiet, vanaque spe se lactet futuræ per venturum adhuc Messiam suum salutis omnimodæ. 9. *Arabica* docebit: novam confusionem Babelicam pœna Dei, Chri-

Christianis negligentioribus immiffam fuiffe regno *Turcarum*, & *Religione Mahomedis*, fe longe lateque fuo *Corano* diffundentis, & gloriam *Christi* mire pefundantis. 10. *Aethiopica, Abyssinorum*, in Africa nomen *Christi* dantium, exponat *fidem ac confeffionem*, cum fere tota illa terræ pars reliqua aut *Muhammedana* aut *paganæ* fuperftitioni adhærefcat. 11. *Rhythmicum Ebraum canticum* ex *Jes. 13.* & *Apoc. 14. & 18.* *Ecclefia jubulum* continebit, quod *Deus Babyloni* myfticæ ex parte ruinam fatalem attulerit, *Christo*que regnum paraverit univerfale, cujus cives eum colant una lingua, mente ac fide. Tandem & 12. *Carmen Germanicum* delineabit *Veram Christi Zionem*, ab omnibus *Babelis* infultibus in inexpugnabilem, quod *Christo* ut petræ inædificata, in omnibus linguis ac nationibus fuos habeat confeffores, & *Evangelium*, in omnes orbis Linguas translati, & ubivis præconio annunciati, nutrimento fufitentetur, & sub *Christi* fignis militans, ex omnibus fuis hoftibus aliquando triumphum agere poffit. VII. *Adjiciet 3. Orationes*, coram *Illuftribus Stipendii noftri* *Vifitatoribus* A. 1725. ex memoria recitatas, *Samaritanam*, *Rabbinico-Talmudicam*, atque *Arabicam*.

*IIX. Methodologia Hebraica, Lingua S. Doctores, eorumque Methodum* recensens: ubi I. *Notitia* tradetur variorum *Ebraicæ Lingua Profefforum*, tum in *Judaicis* olim, tum in *Christianis Academiis* recentioribus eandem docentium, quorum indicabit characteres, *Libros ac merita*, *Ebraicæ Literaturæ terminos* amplificantia. II. *Methodos* enarrabit *diverfas*, pro *diverfa* ftudii *Hebraici* apud *Judæos* pariter ac *Christianos* viciffitudine notandas: e.g. inter recentiores, *Kimchianam*, *Reuchlinianam*, *Buxtorffianam*, *Cappellianam*, *Schickardianam*, *Wasmuthianam*, *Raadtianam*, *Altingianam*, *Hardtianam*, *Guffetianam*, *Danzianam*, *Hillerianam*, *Schudtianam*, *Neumannianam*, *Clericanam*, *Mafclefianam*, aliasque complures eorum, qui vel *grammaticis*, vel *lexicis*, vel *accentuationibus*, vel *observationibus* *miscellis* fingularem *Linguaæ* *sacræ* *lucem* fcenerari voluerunt. III. *Deperdita* olim, & adhuc hodie *defiderata* in *re literata Hebraica* breviter indicabit: & IV. tandem *Furgium Criticum Adonistarum & Fehovistarum*, ex *Fullero & Amama*, *Buxtorffio & Cappello*, *Drufio & Hillero*, *Leusdenio* ac *Schudtio* aphoriftice repræfentatum, criticaque libertate dijudicatum annectet.

*IX. Janua Alcorani Arabici, Turcico-Muhammedani*, recens patefacta: in qua I. *Synopticam Lingua Arabicæ formam grammaticam* dabit, *Ebrææ* *harmonicam*. H. *Suras Corani* 1. *Initii*. 12. *Josephi* 14. Abra-

Abrahami. 61. ordinis. 62. conventus. 63. Impiorum. 109. Infidelium. 110. Auxilii. 112. Salutis. 114. Hominum, ex toto ejus Pseudocanone seliget, & ad resolutionem firmandam, & ad genium Linguae cognoscendum, & ad mendacia Libri falsi introspectenda: ut quis dein hisce præparatus capitibus, cursoria lectione, totam Libri per se non adeo magni *μαθαιολογια*, brevi tempore, in originali sua lingua elegantè evolvere possit. III. Usum Arabicae Dialecti biblicum in X. *Fobais oraculis* comprobabit. IV. Presentem Turcicae Eruditionis statum designabit, quæ jam per Typographæa, novaque cum cultioribus populis commercia majora capit incrementa: & una *Problemata II.* resolvet: Num Mahumed sit Antichristus ille magnus, eique potissimum competant characteres ejus biblici? An & quando speranda sit Turcarum ac religionis Mahomedanæ vel eversio, vel conversio ad Christum?

X. *Vannus Pseudo-Critica Whistoniana triumphus de restituendo codice Hebræo V. T. a Judæis Sec. II. corrupto*: ubi I. *συνοψις* compendiarum falsissimarum ejus Hypothesium præmittitur. II. Ad generalem earundem refutationem, probatur: 1. nihil prorsus novi Whistonum, ob Arianismi labem loco motum, heic attulisse, quod non jam ante ipsum afferuerit *Pezronius*, *Cappellus*, *Grotius*, *Vossius*, *Morinus*, alique *Pseudo-critici*, quoad rem idem cum eo sentientes, ut jam in iisdem refutatus censi possit: 2. quoad methodum vero mathematicam, totamque systematis perniciosissimi compagem, cum loco Propositionum ac Præmissarum mera afferat petulantis ingenii fragmenta, nunquam demonstranda, eum (etsi aliud ajat) non alium habuisse scopum; quam ut Libros V. ac N. Testamenti maxime corruptos, adeoque fide indignos esse ostenderet, & sic Deismi vel Atheismi semina indirecte spargeret. III. Speciale Whistoni refutabitur argumentum, a locis *Piskatis* desumptum, ex quibus universalem Judæorum corruptionem fuisse possibilem arguit. Ex inductione igitur omnium 25. *V. T. Locorum*, *Piska* habentium, monstrabitur: **NPDB** neque hiatum seu lacunam & defectum in S. textu notare, neque solam legendi cessationem, vel canendi, ob interstitium & spatium vacuum; sed una cum ista pausa, requirere sua significatione, mentis attentionem ad loca ista, primum elliptica visa, legitime applicandam: cum loca ista omnia designent *intermedium quid contingens* notabile, vel actionem quandam, vel colloquium aliquod, vel revelationem quoque Dei expectatam: id quod eorum inductione ac resolutione probabit.

Exodium,

*Exodium.*

**A**Dhuc semel mihi compellendus es, *Bibliophile ac Philebræ Anagnosta!* Dixi sententiam, antequam Tibi huncce *Catalogum* propinarem legendum; sed ita dixi, ut ejus *editionem* modo defenderem, & qualiacunque promissa hæc scripta, seriam voluntatem meam, non Utopiæ modo olim, aut alijs mundi incolis, sed vere, ansâ oblata, publico divulgaturam esse edisserterem. Jam, posteaquam forte oculis Tuis dignatus es hanc variorum Libellorum indicaturam & pollicitationem: de ipsius *Catalogi* hujus *ratione rei que natura* accipe pauca. Facile pervideris ex prima & perfunctoria perlectione, eo collineare rudius ducta isthæc *lineamenta* omnia, ut patentissima omnis *Philologia, Criticaque & Hermenevticæ sacra latifundia*, quoad quosdam modos atque articulos suos forte *sitibunda* humectentur ex nonnullis, licet exilibus, meis etiam fonticulis, atque irrigentur. Ita ex.gr. existimo, tractatulos quosdam ipsam efflagitare *necessitatem*, suo modo, nunc *absolutam*, nunc *hypotheticam*. Non habemus *praxin Hebraicæ Linguae syntheticam*, qualis alias in omnibus fere linguis industria comode addiscendis suppetit, & qualem numero VII. P. N. strictim designavi. At vero in causa est hæc ipsa *defectio*, cur ipsa Lingua sacra vel minus accurate, vel minus plene, vel saltem minus comode addiscatur. Sic pleniorum etiam *Grammaticam Hebraicam, & essentialia & extressentialia* Linguae sanctæ *progymnasmata* pertractantem, in rerum *desideratarum* numero censeo collocandam. Saltem inter 40. illas, quas possideo ipse, & plures alias, quas recensuit *Cel. Wolffius*, ista reperire non potui, quæ hic enarroy, numero V. P. N. in *Pedagogio Linguae Hebraicæ sufficiente*: quod non vulgarem modo atque elementarem, sed accuratiorum quoque, & criticam quidem, Dialecti biblicæ cognitionem ingenerare aptum sit Hebræophilorum animis. Pari ratione plu-

plures, credo, mecum desideraverint *Lucernam criticam* N. VI. P. N. ad cognoscendas, sed & dignoscendas, Bibliorum Hebraicorum variantes & scriptiones, & lectiones, aliasque observationes Masoreticas, idoneam faciem rudioribus præferentem. Fateor ipse meo sapiens exemplo, profiteor etiam, aliorum justas jungens *querelas*: ignorasse nos olim, in *communi* illius Linguae Studio: quid sibi velint insolitæ literarum picturæ, quid vocales & accentus spectantes abbreviaturæ, quid signa *ק* & *כ* obvia, quid Piska non raro occurrens? &c. *Imperfecta* erant, quæ nec habebantur, critica compendia, nec satis commendabilia nonnulla, quæ multum observabantur, recens condita quorundam systemata: ut profecto nullus dubitem, me operæ pretium facturum, si *Hillerum* nostrum, *nonnihil* hic præstantem in suo Arcano, aliosque in quibusdam perficiens ac supplens, indicatis stare promissis, & Bibliorum sequens ordinem, omnium istarum, quæcunque tandem sint, *notarum criticarum rationes* afferrem *probabiliores*, *indicesque* subministrarem facilius usurpandos. Quod porro ad *Accentuationis Phenomena* pertinet, a plurimis certe solvi ea nesciunt, qui tamen plerumque (si aliquo in pretio eam habeant) ad *merum* ejusdem *usum distinctivum*, sed haud ubique satisficientem, sua referunt omnia. Libellum igitur P. N. Num. IIX. positum, frustraneam haud exspectare operam, mihi persuadeo. Refero ad eandem classem, n. IV. P. N. indicatum *conspectum aphorismorum V. T. Criticorum*. Compertum habent eruditi, *plures* quidem materias tractasse criticas, sed, vel *partem* tantum earum evolvisse, vel, quasi *aliud agendo*, & Pseudocriticis sese opponendo, nonnullas illustrasse: in *disciplina* autem *integra* justam formam, ante B. Pfeifferum 1688. ex nostris quidem fudisse neminem *Criticam artem*, nec in *systema* plenius, alium ante Cel. Carpzovium 1728. *criticam excellentissimam* edentem, longe *Dignissimum* D. Pfeifferi successorem: uti & *Criticam*  
N. T.

N. T. primus doctissime concinnavit ante 4. annos *Meritissimus* nostræ *Tabingæ Professor Klemmius*. Ulterius non sine fructu fore spero *Reliquias Masoræ sepultæ* P. 3. n. II. denunciatas, cum *Masoram* ipsam, aliqua sui parte venerabilem, aliqua non indignam cognitione, aliqua etiam, licet curiosam, at haud prorsus inutilem, multum sint illustraturæ. Quod *Chiragogiam* attinet *Rabbinicam*, n. VI. P. 3. indice digito ostensam, arbitror; multum sæpius impediri *Hebraophilos*, suam Linguæ Hebraicæ cognitionem magis perfecturos, etiam Rabbinicis commentationibus degustatis: quando brevia *specimina* iis non suppetunt impressa, cum paucorum sit, vel ipsos pretio cariores hosce libros sibi comparare, vel in ipsum quoque *Oceanum Rabbinicum* diutius enavigandum se totos immittere. Quæ vero olim in hoc genere ab aliis divulgata sunt, tum *rariora* hodie sunt, & in occulto latentia, tum & *imperfectiora*, unam modo fenestriculam spatiosissimi istius ædificii commode aperientia, tum *difficiliora* quoque, ab opere isthoc laborioso, conceptas vulgo & veras & imaginarias molestias levi brachio haud abstergentia: ut non Isthmum frustraneo conatu perfossura videatur recens contexta isthæc *χαραγωγία*. Simile esto iudicium de *Parascha Polyglotto* N. VII. P. 3. delineata, cujus utraque pars tam theoretica, quam practica, usu se suo atque exemplo raro non paucis forte commendaverit. Quod spectat P. 8. N. X. propositam strictim *Christognostiam Antiquariam*, privatæ illam pietati consigno, forsan & aliorum utilitati. Cognitæ in vulgus sunt plurimæ *Judeos ad Messiam verum convertendi via*, quas & in ipso hoc scripto allegaturus sum. Hæc mihi placet *methodus*, suo (ut confido) fructu pro modulo occasionis sese offerentis haud defraudanda, ut *sparsus Israël's grex*, & suo maxime *pabulo* misere delectatus, per *hoc ipsum*, aliunde excellentius & illustrius redditum, ad ipsa *Christiana Religionis pascua* promptius invitetur, & ad commune *Christi ovile* tandem  
ali-

aliquando reducatur. Novi, *Problema* esse *Spenerianam* spem istam meliorum temporum, convertendorum amplius & Paganorum, & Judæorum, & Muhammedanorum: ast & hoc scio, eo ipso, quod sit *Problema*, neminem alterius fundamentis, in Scripturæ testimoniis pro sua quidem interpretatione latentibus, præjudicare quicquam posse: dum dies decidat novissimus, vel mirabilium Dei operum suo tempore manifestandorum, diu a multis haud agnita magnificentia suam in hoc adhuc orbe illustret gloriam. Placent eapropter *Doct. Hornbeckii* verba, p. 62. sq. in *Sum. Controv.* adducta, a me in *jure Postliminii Ebr. L.* jam citata. Modo haud impari *P. ג. Num. IX.* patefactam *Januam Alcorani Arabici, Turcico-Muhammedani* his temporibus eo utiliorem pronuncio, quo serenior jam aurora, Turcis quoque, *artem Typographicam* hodie contra sacrum morem suum recipientibus, clariorem veritatis diem prænunciare videtur. Quomodo autem impressa recentius ista *Turcarum MS&eta* in nostrum convertere usum poterimus, aut literariæ reipublicæ commodum inde promittere, si ignoretur plane totius ferme orientis ac Meridiei vernacula Eruditorum Lingua Arabica? Non *opus est, reliqua* etiam attingere, & meam de *literario illo proposito* sententiam pluribus pronunciare: cum & adhuc dicta videri quibusdam possint *nimia*, quod ego in *causa propria*, affectu præpostero mentem præcipitante, *judex* esse indigno ausu præsumserim. Ast feci *indicium* rei, *judicium* non tuli, nisi *declans*: saltem ferre id temeraria levitate, atque incorruptæ *Areopagitarum* sententiæ in sulso modo præjudicare, animo haud præcepi. Sic vero jam Te dimittere possum, *studiis atque studiosis benevolens Lector!* Deumque precor, ut suo numine propitio tum *Mecanates*, tum *Marones* Christianos excitet, atque uti omnem rem sacram, ita non minus literariam quoque illustret plurimum, & saluberrime amplificet nobile illud *Linguarum Sacrarum studium*, Dei honorem ac verbi ejus intellectum amplius propagaturum.

HEXAS OO. Colleg. Philol.